



PAENITENTIARIA APOSTOLICA

Prot. N. 17/19/I

D E C R E T U M

PAENITENTIARIA APOSTOLICA, ad augendam fidelium religionem animarumque salutem, vi facultatum sibi specialissimo modo a Sanctissimo in Christo Patre et Domino Nostro, Domino Francisco Divina Providentia Papa tributarum, attentis precibus nuper allatis a Gloria Rodríguez, Directrice Generali Societatis vitae apostolicae "Consecratae de Regno Christi" nuncupatae et nuper canonice erectae, in aureo eiusdem Societatis iubilaeo, de caelestibus Ecclesiae thesauris benigne concedit *plenariam Indulgentiam*, suetis sub condicionibus (sacramentali Confessione, eucharistica Communione et oratione ad mentem Summi Pontificis) a sodalibus et christifidelibus vere paenitentibus atque caritate compulsis, totum per annum MMXIX lucrandum: - die VIII cuiusque mensis; - die XXVIII Iunii, in sollemnitate Sacr. mi Cordis Iesu; die VIII Decembris, in sollemnitate Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis et ipso die anniversario, quam etiam animabus fidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicare possint, si quodlibet templum eidem Societati spectante in forma peregrinationis inviserint et ibi iubilaribus ritibus devote interfuerint, vel saltem per congruum temporis spatium piis vacaverint considerationibus, concludendis Oratione Dominica, Symbolo Fidei atque invocationibus Beatissimae Virginis Mariae.

Senes, infirmi, omnesque qui gravi causa domo exire nequeunt, pariter *plenariam* consequi poterunt *Indulgentiam*, concepta detestatione cuiusque peccati et intentione praestandi, ubi primum licuerit, tres consuetas condiciones, si iubilaribus celebrationibus se spiritualiter adiunixerint, precibus doloribusque suis vel incommidis propriae vitae misericordi Deo oblati.

Quo igitur accessus, ad divinam veniam per Ecclesiae claves consequendam, facilius pro pastorali caritate evadat, haec Paenitentiaria enixe rogit ut sacerdotes opportunis facultatibus ad confessiones excipiendas praediti, prompto et generoso animo, celebrationi Paenitentiae sese praebant.

Praesenti totum per aureum Consecratarum de Regno Christi iubilaeum valituro. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae, ex aedibus Paenitentiariae Apostolicae, die VII mensis Ianuarii, anno Domini MMXIX.

MAURUS Card. PIACENZA
Paenitentiarius Maior

CHRISTOPHORUS NYKIEL
Regens